

Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput X.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Caput X.

Pus ipsum celebrat artificem, & Principem prudenter res gestae illius. In publicis consilijs nihil nocentius homine verboso. Et qui praeceps ad loquendum est, pudefiet. Sapiens Princeps grauiter se gerit, & ubi prudens Magistratus est, ibi omnia suo ordine procedunt. Sicut est Princeps, ita & prefecti, sicut est Senatus, ita & cives. Rex turbulentus perdit Rerumpublicam, cum autem potentes sapiunt, florent urbes. Gubernatio Rerumpublicarum est in manu Dei, ille nonnunquam dat bonos Magistratus. In manu Dei est, ut magistratibus & potentibus aliquid succedat feliciter: ille enim dat consiliarios dignos, & Scribam dignum laude. Ne omnia ad viuum reseces in puniendis delictis: nec priuatis affectibus indulge, cum debes exercere iudicium. Deus enim & homines oderunt superbos, nam contra utrosq; peccant. Propter tyrannidem, iniuriam & auaritiam, transferuntur regna ab uno populo in alium. Ut quid gloriatur terra & ci-
nis? cum homo nihil aliud sit, quam sordidum lutum etiam cum viuit, & ut maximè medici omnem artem sarcendo consumant, tandem viuis hic rerum finis est: Hodie in regno, cras cadaver. Mortuum autem hominem serpentes & vermes consumunt.

Hic fons omnis superbia est, quando homo à Deo deficit, & cor suum à Creatore suo auertit, & sic superbit, ut varie peccet. Qui huic luto immergitur, abominationes multas parit. Ideo Deus omnibus temporibus superbos pudefecit, & tandem horribiliter euertit. Deus potentes Principes decusit de sede, & exaltauit abiectos. Deus superbas gentes eradicauit, & loco ipsarum reposit humiles & afflictos. Deus terras gentium magnarum vastauit & delevit funditus, Passus est eas exarescere, vastari, nomenq; earum extingui super terram. Quod homo superbis est & crudelis, non est creatum à Deo, Sed qui Deum timet, ille glorificabitur. Qui autem violat praecepta Dei, is confundetur. Qui timent Deum, honorant Principem, atq; ideo custodit eos. Neq; diues, neq; pauper, neq; magnus, neq; parvus, in alia re

Bonus
Princeps.

Causa mu-
tationis re-
gnorum.
Superbia.

Chv

glorietur, quām quod timent Deum. Plane flagitiosum est, contemnere pium & prudentem pauperem, & diuitem impium honorare. Magni sunt, magnōq; in honore sunt Principes, magnates & potentes, tām magni autem non sunt, quām ille, qui met Dominum. Seruo sapienti obsequitur Dominus, & prudens Dominus non ideo murmurat. Gerens Magistratum, non pertinaciter tui capit is cogitata propugnato. Noli superbire tunc, cum homines indigent opera tua. Melius est, ut quis sua seruat vocationi, & benedicatur à Deo, quām ut multis se implicans, ad mendicitatem redigatur. Fili, in rebus aduersis ingenti sis animo, atque vocationi huic firmus inhāre, ad quam Deus te vocauit. Nam cum, qui de vocatione sua dubitat, qui seruabit? Et quomodo ille honorem suum tuebitur, qui ipse de vocatione incertus est? Pleriq; pauperes in honore sunt, propter ingenium & prudentiam, diuites verò propter opes. Si autem sapientia laudatur in paupere, quantò commendatior erit in diuite? Et quod diuitem deformat, multo magis deformat pauperem. Sapientia pauperis euehit eum, ponitq; ad latus Principum. Noli magnificare quenquam propter magnum splendorem, aut speciem externam: neq; contemnas ullum propter speciem contemptibilem. Nam valde exigua volucris est apis, & tamen mel producit, succum dulcissimum. Noli superbiri in splendore vestium, neq; fastu turgesce in die gloria tua. Nam mirabilis est Deus in operibus suis, neq; ullus mortalium sit, quid facturus sit. Multi Regum & tyrannorum coacti sunt sed in puluere, & diadema repente impositum est illis, de quibus non cogitabatur. Multi magni domini subito euersti sunt, & multi potentissimi in manus aliorum venerunt. Noli condemnare ullum, causa non cognita, cognosce primum, deinde de pēna statue. Noli ferre sententiam re non audita, dicant primum causam, qui audiuntur. Ne te admisceas negotijs alienis, neq; aſideas iniſtam ferentibus sententiam.

SVMMAM DOCTRINÆ POLITICÆ DE MAGISTRATIBVS & DE OFFICIIS
AC VIRTVTIBVS BONO PRINCIPI CONVENTENTIBVS complectitur: Quæ vt facilius intelligi & memoria comprehendendi à iuniorib; possit, præcipuos huius capitis locos numeris distribuam. Primum igitur scimus, Dei opus esse, & miranda Dei sapientia institutum esse, & conservari in genere

in genere humano, ordinem Politicum, quo in ciuili hominum societate distincti sunt gradus Magistratum & Subditorum, & sanctae Leges de singulorum officijs & moribus, instituta coniugia, contractus, iudicia, poenæ scelerorum, defensio innocentum, artes honestæ, legitima tributa, distinctio familiarum, educatio primæ etatis in Oeconomis & Scholis, &c. Quibus vinculis homines in ciuitatibus & imperijs Deus deuinxit & consociavit, ut in cœtu & frequentia hominum alij alijs veram de Deo & Redemtore nostro Iesu Christo doctrinam tradere & late propagare possent, & sua confessione & exemplis omnium virtutum alij alios ad veri Dei agnitionem & celebrazione & mutuae dilectionis officia exercenda inuitarent. At ut in his ipsis Politicæ societatis vinculis, testimonia sapientiae, bonitatis, iusticie & presentie Dei inter homines illustria conspicerentur. Nam Legis diuinæ noticia, quæ regula & norma est totius ordinis politici, & distinctio eorum, qui regunt & reguntur, & iudicia legitima, demonstrant sapientiam Dei. Bonitatem vero ostendunt plurima beneficia, quæ per Magistratum Deus nobis impertit, videlicet, conseruatio pacis, defensio nostræ vitæ & facultatum, communicatio rerum necessiarum per contractus. Item doctrina, disciplina, &c. Iustitiam Dei, Leges ipsæ præcipentes iusta, & prohibentes iniusta, & poenæ scelerum severæ, Item æqualitas in contractibus declarant. Præsentiam vero Dei in genere humano ipsa societatis humanæ conseruatio, & Magistratum defensio miranda, & poenæ atrocium scelerum diuinæ, & Heroicorum Principum ardentes ad virtutem impetus, & felices in rebus gerendis successus, lucidissime demonstrant. Hæc testimonia & vestigia Dei in Imperijs & ciuitatibus attente consideremus, quotiescumq; de Magistratu Politico disputatur. Et propter Deum autorem & custodem ordinis Politici, vera cordis reuerentiam magistratui obediamus: & Deum contumaciæ vindicem esse non dubitemus. sicut in hoc capite Syracides præcipit: Qui timent Deum, honorant Principem, atq; ideo custodit eos. Et Proverb. 24. Time D OMINVM, filii, & Regem, & cum seditionis ne commiscearis. Et familiariter nota sit omnibus sedes materiæ de Magistratu Politico, Romanos 13. quæ ad hanc Syracidæ concionem illustrandam referatur. In qua hoc quoque considerandum est, quod non modo ordinem Politicum per seipsum opus esse, & à D eo conseruari, verum etiam personas gubernatorum salutarium & felicium Dei dona esse, & à Deo excitari & iuuari ac defendi docet, his verbis: Gubernatio Rerum publicarum in manu Dei est, ille non nunquam dat bonos Magistratus, vt Ioseph, Dauid, Salomonem, Iosaphat, Constantimum magnum, Carolum magnum, &c. horum cursus felix & generi humano salutaris est. Econtra cum personæ non sunt à D eo excitatae, nec iuuantur à Deo, sed sunt vasa iræ & organa Diaboli ac scelerum omnium: tetricis confusionibus & dissipationibus ordo Politicus turbatur. Precepsit itaq; Deum ardentibus votis, vt pios, prudentes & salutares gubernatores nostris Politijs tribuat. Et hæc vicia personarum Deo disponentium, ab ipso officio Magistratus, & ordine Politico, qui Dei opus est, diligenter & accuratis limitibus segregemus. Et sint in conspectu similia scripturaræ & aliorum Sapientum dicta, vt Psal. 143. Qui das salutem regibus. Pial. 127. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui &c. Plato r̄sp. d. pag. 237. Vbi in ciuitatibus non Deus ipse, sed mortalis aliquis tantummodo imperat, ibi malorum & ærumnarum nullum est effugium.

I I. Sententiae de officio et virtutibus bono principi
Magistratus seu Magistratui conuenientibus expendantur. Est autem bonus prin-
ceps seu Magistratus, persona à Deo ordinata, ut iuxta normam Legis
Dei, & alias lue Reipublicæ leges honestas, regat subditorum mores, &
bonos ac recte facientes defendat & ornnet, contumaces vero & sceleratos
gladio puniat, & pacem conseruet propter hunc finem principalem, ut in
pace vera de Deo doctrina late spargi, & homines ad veram Dei agnitionem & omnia pietatis & cæterarum virtutum officia assuefieri, & colligi
Deo æterna Ecclesia possit. **P R U D E N S M A G I S T R A T U S** est, qui finem
seu officia sui muneric recte intelligit, & media ad eum finem ducentia pro-
spicit, & in medijs illis eligendis, & omnibus officiis sui partibus obeun-
dis, præstat intentionem animi, vigiliam & assiduitatem debitam. Sunt
autem **O F F I C I A** boni Magistratus præcipua: Regere iuxta legem Dei
& alias congruentes Leges, disciplinam & mores subditorum. Bonos &
obedientes defendere & ornare. Sceleratos seuerè punire. Tueri pa-
cem repressis latrocinijs, seditionibus & alijs sceleribus. Paterno animo
defendere corpora & facultates subditorum, ut Xenophon inquit: Bonus
Princeps nihil differt à patre bono. Excitare & fouere ecclesiæ & studia
doctrinarum & artium bonarum.

Ad hos fines officij Magistratum obtinendos, necessaria media & ad-
minicula sunt. 1. Cognitio doctrinæ iuris diuini & humani, quod norma
& regula omnium consiliorum & actionum in tota gubernatione præcipua
esse debet. 2. Consiliarij prudentia, virtute & fide præstantes, de quibus
verè dicit Isocrates: Σύμεσλον ἀγαθὸν κοίνον ἀγαθὸν, βασιλικῶτα τε καὶ γενου-
τατον ἀπάνταν υπηρέτων εἴναι. Consiliarium bonum commune bonum, & ma-
xime regium ac utilissimum regni thesaurum esse. Et hic Syracides inquit,
eximium & singulare Dei donum esse consiliarios bonos, & præcipue Can-
cellarium sapientia, virtute & eloquentia præstantem. 3. Ministri fideles,
industrij, veraces, iusti & integri, Psal. 101. 4. Iudicia legitima & recte
constituta, 2. Paral. 19. 5. Præsidia ad defensionem pacis & poenas scle-
ratorum necessaria. Rom. 9. Non frustra gladium gerit. 6. Pecunia, quam
neruos rerum in gubernatione gerendarum Demosthenes nominat.

In hisce medijs parandis & tuendis prudens Magistratus diligentiam &
intentionem debitam adhibet. Ac ubi talis Princeps est, ibi omnia ordine
suo, ad normam legum congruent, procedunt, ut hoc in loco Syracides
inquit: Et cum potentes sapiunt, florent vrbes. Quam sententiam Plato in
suis scriptis quinques repetit: Tunc demum beatas fore Respublicas, cum
vel Philosophi, hoc est, viri sapientes & docti imperare coeperint: vel qui
imperant in ciuitatibus, Philosophi studio sese dederint. Hanc coniuncti-
onem potentiae & sapientiae Rebus publicis salutarem fore. Est igitur hac
prima & præcipua virtus, quam in Magistratu requirit Syracides, **P R U -**
D E N T I A.

Eloquentia. Deinde eximium & singulare ornamentum in viro principe est **E L O -**
Q U E N T I A, quam prima huius capituli sententia commendat. οὐ γένεσθαι
λαζσοφος ἐν λόγῳ αὐτῷ επανεθῆσε. Sic Vlyssi vtrumque decus Sapientia &
eloquentia tribuitur: Σοὶ δὲ εν μὲν μορφῇ ἐπέσων, εν δὲ φρεσὶ εἰδη λατού. Splendida
vox linguam, decorat prudentiam mentem. Et de Achille dicitur, cum à
Phœnicie institutum esse. μύθον τε ῥητορὸν ἔμεναι πεντηκόντες εἴργαν. Verborum
orator, rerumq; effector ut esset.

Et elo-

Et eloquentiae viri principis imago illustris proposita est in i. Enclidos.

Tum pietate grauem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant,
Ille regit dictis animos & pectora mulceret.

Homerus Odyss. 6.

Quem Deus eloquio ornavit, spectare solemus
Attentique audire omnes, cum dulcia fundit
Verba verecunde, ciues verisque gubernat
Consilijs, longe quos inter hic eminet vnu.

In dubijs rebus cum concio magna coacta est,

Atque urbem ingrediens aliquis Deus ipse videtur.

III. Monet Sycacides, plurimum valere exemplum Principis, ad subditorum mores, recte & laudabiliter, vel secus, instituendos. Ideo maiore cura & intentione Principes vitam suam regant, & pietatis, iustitiae, grauitatis, temperantiae, veritatis, beneficentiae & ceterarum virtutum exemplis populo prælueant, vt ad imitationem subditos inuitent. Scilicet in vulgus manant exempla regentum, Vtq; ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

III. De consiliarijs & ministris principum monet vitandos esse γλωσσας Consiliarij, id est, verbosos, garrulos, futilis, mendaces, præcipites, curiosos, vanos, Sycophantas, κακονθεις, &c. Monet item pauperes ingeniosos, prudentes, & pios, à principe anteferendos esse impios & ineptis centauris, quantumvis fastu & opibus turgeant. Imo & prudentum seruorum consilia non aspernanda esse, vt in græco versu dicitur:

Ἄνδρες οἳ τὸν βατέλον πάρα οἰκεῖτε εὖ φρονέοντες. Consilium serui non aspernare fidelis. Sæpe enim sub humili & contemta facie magna sapientia & virtus abscondita later, vt monet Proverbum, Sileni Alcibiadis. Cùm autem Dei donum sint, boni consiliarij & præcipue scriba seu Cancellarius dignus laude: ardentibus votis à Deo petendi, & cum habentur, singulari benevolentia & benignitate à Principibus fouendi sunt.

Ne omnia ad viuum reseces in puniendis delictis. V. De poenis docet, non ^{Poenis} omnia ad viuum resecanda esse in puniendis delictis. Sed enormia & atrocitas scelera severa vindicanda esse. Nam qui omnia errata corrigere volunt, nihil aliud agunt, quam quod hydræ caput resecant. Repetatur autem hoc in loco tota doctrina de poenis magistratum, & de octo causis, propter quas enormia delicta à magistratu punienda sunt.

Propter Tyrannidem, iniurias & auaritiam, mutantur regna. VI. Causam mutationis regnum præcipuam docet esse IN JUSTIAM seu tyrannidem, vt propter crudelitatem Astyagis translatum est imperium à Medis ad Persas. Econtra iustitia & clementia stabilitur thronus. Multas autem causas & exempla mutationis & euersionis Politiarum recitat Aristoteles libro 5. Politicorum, qui ad hunc Syracide locum illustrandum adhibetur.

Ita quid gloriatur terra, & cenis, cum homo nihil aliud sit, &c. VII. Longa concione dehortatur principes & magistratus à vicio tetro & plenius magnam sapientiam & potentiam comitante, videlicet à superbia, que est sine timore Dei, & sine agnitione infirmitatis propriae, sese efferre & admirari propter potentiam, diuitias, formam, ingenium, vel alia dona, & confidere propria sapientia & potentia magis quam Deo, & alios desplicere, & in rebus aduersis irasci Deo tanquam iniuste punienti.

Virtus

Chy

Virtus opposita est modestia seu humilitas, qua in timore Dei agnoscentes propriam infirmitatem non superbimus, sed vero corde nos Deo subiici-
mus, & voluntati illius obedimus. Vtitur autem Syracides in dehortatione
à superbia argumentis. L A' causa materiali, in qua, seu subiecto, in
quo hæret superbia, quod est terra & cinis & sordidum lutum, quo nihil
infirmius, nihil foedius, nihil fragilius cogitari potest. Ideo apud Ebræos &
Latinos, homo, ab humo, ex qua ortus est, & in quam reuertetur, nomen
habet. Studiosi splendidissimam superbiæ vituperationem ex hoc fonte
sumtam, legant apud Basiliūm, in fine Hexaëmeri enarrantem hæc verba:
Fecit Deus hominem de limo terræ. Meminerint & Prosperi sententiam. Di-
uitijs flores. fol. 386. In Genesin Victorini.

I I. A' causa efficiente, quæ est defectio à D e o. Ut enim Diabolus pri-
mos parentes superbia & ambitione impulit, vt à Deo deficerent & Dij seu
Deo similes esse vellent: ita in omnibus hominibus primus fons superbiae
& præcipuorum peccatorum & calamitatum, est Cœcitas & caligo mentis
non agnoscens Deum authorem donorum, & fiducia propriæ sapientiae
& industriae ac virium, qua singuli volumus nobis ipsis Dij esse, & alijs quo-
quo modo antecellere. Hinc pleræque discordiæ & bella in omni vita ori-
untur. III. Ab effectibus seu penitus superborum horrendis. Nam Deus
superbis resistit, & deponit potentes de sede, vt Pharaonem, Exod. 14. Na-
buchodonosor superbum, Dan. 4. Principem Tyri, Ezech. 28. Balthasar
rem Babylonum, Esa. 24. Apryem Ægypti regem, Polycratem, & alios in-
numerabiles horribiliter deiecit.

Melius est, vt quis suæ seruat vocationi. VIII. Causæ felicium suc-
cium in vocatione & doctrina, ac consolatio opponenda multiplicibus im-
pedimentis & æruinnis in quacunque gubernatione magna vel parua, dili-
genter consideretur. Primum, intelligat quisque officia suæ vocationis,
ad quam à Deo vocatus est: & diligenter, sedulo ac constanter in sua voca-
tione laboret. 1. Thesi. 4. Hoc ambitiose agite, vt propria faciatis & labo-
retis. Secundò, Tantum mandata & necessaria propriæ vocationis officia
faciamus: nec propria curiositate aut πολυπαγμοσωη & fiducia propriæ sa-
pientiae & potentiae, moueamus iniusta aut non necessaria extra voca-
tionem, vt Achas, Absalon, Pericles, Pompeius & alij innumerabiles, infelicia
& non necessaria bella mouerunt. Tertiò, Vera humilitate & timore D e i
agnoscentes ingentem nostram infirmitatem, inuocemus Deum, & peti-
mus ab eo auxilium & successus salutares: & fiducia auxilij diuini sedulo la-
borantes, sciamus nec felicia esse consilia & labores hominum sine Deo:
nec irritos & inanes esse labores nostros, cum petimus nos à Deo iuuari,
vt 1. Corinth. 15. dicitur: Non labor in Domino vester inanis erit. Psal. 37.
Commenda Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Quod si diffi-
cultates aliquæ & res aduersæ inciderint: non trepidemus animis, nec de-
seramus vocationem fracti metu, sed fiducia auxilij diuini maneamus firmi
& constantes, & à Deo liberationem tranquillis animis expectemus. Hanc
necessariam doctrinam, & regulam vitæ salutarem, hoc in loco à Syracide
traditam, diligenter & attentè obseruemus, & non modo in gubernatione
Reipublicæ, sed in omnibus nostris functionibus ad usum conferamus.

Plerig. pauperes in honore sunt, propter ingenium. IX. Repletit quartam &
septimam admonitionem. In diligendis Consiliarijs & ministris princi-
pum, maiorem ingenij & prudentiae, quam opum & splendoris ac fastus
extenui

externi rationem habendam esse. 2. Superbiam & fastum regibus exti-
sum: Modestiam vero salutarem esse. *Muli reges & tyranni, coacti sunt se-
dere in puluere, & in aliorum manus venerunt.* Nabuchodonosor. Valerianus
à Sapore captus. Perseus rex Macedoniæ ab Ämylio. Baizethes tyran-
nus Turcius à Tammerlano. Franciscus Rex Galliæ à Carolo V. Christianus
II. Rex Daniae in exilio & carcere mortuus. *Diadema impositum est illis,
de quibus nemo cogitabat.* Sauli, Dauidi, Matthiae Hunniadi, qui ex carcere
ad regnum Vngariæ enectus est, sicut Joseph in Ägypto. Gustaus pater
præsentium regum Sueciæ obses in Dania abductus captiuus, paulo post
pullis ex patria Danicis præsidijs, rex Sueciæ factus est.

Noli contemnere ullam causam non cognitam. X. Præcipua pars & executio
officii, principum & magistratum, sunt iudicium & legitima, in quibus au- Iudicia quid.
dita utraque parte & exploratè cognita causæ veritate, iuxta honestas leges
iuris dicitur. h. pronunciatur, cuius causa iusta, cuius iniusta sit, & iusti ac bo-
ni, contra iniurias defenduntur, & fontes puniuntur. Hæc iudicia Forensia
Deus ipse instituit & ordinavit ac seruat, vt sint testimonium de iusticia &
iudicio diuino, quod & in hac vita regulariter puniens atrocia scelera atro-
cibus pœnis, & post hanc vitam separans bonos à malis, & hos æternis cru-
ciatibus plectens, illos præmijs perpetuis ornans, declarabit. Ac ut homi-
nes in ciuili societate τα ἀμφιλογία δικη 2[η] λύνεται αὐτὸν τολέμεις pacem & con-
cordiam inter se mutuo retinere & tueri possint. Sunt autem virtutes in
iudicibus necessariae. 1. Timor Dei, statuens Deum iudicem iudicium
præsentem adesse iudicis spectatorem omnium, quæ ibi dicuntur & fiunt.
2. Diligentia in cognoscenda causa, & utraque parte pariter audienda.
3. Iustitia pronuncians iuxta normam Legum, non iuxta priuatos affectus,
odio vel fauorem. 4. Fortitudo in exequendis sententijs, causa cognita,
iuste pronunciatis. Monet autem hoc in loco Syracides de 2. & 3. virtute,
Neminem condemnandum esse, causa non cognita, vt Phocylides et-
am inquit: μητε δικαστας, πεντε φοινικούς ακροτης. Et non iuuandam vel
probandam esse iniustum sententiam nostro suffragio vel silentio.

Caput XI.

Illi mihi non immisceas te varijs negocijs. Nam

F varijs te immiscens non auferes lucrum. Ut ma-

Res fami-
liaris & diui-
tix quomo-
do parandæ;

xime valde coneris, tamen nihil efficies, & ut ma-

*xime nunc hic nunc illic sarcias, tamen non elucta-
beris.*

*Plerique contendunt & anhelant, ut ditescere possint, &
tandem anhelando seipso impediunt. Plerique nihil contendunt
ditescere cum sint egeni, tenues & contemti, hos sape respicit cle-
menter Deus, liberatq[ue] ex inopia, magnificeq[ue] eos enehit, ut mul-
timirentur. Omnia enim sunt ex Deo, secunda simul res &*

dat De-